



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Varia alia motiva ex Veteri. Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Hi novissimi unâ horâ fecerunt &c. Matth. 20. 12. S. Chrysost. ait primos operarios fuisse ex primorum Sæculorum iustis, quorum erat vita diuturnior; postremis autem designatos Sanctos, & servos Legis gratiæ, quorum vita brevior. Primos operarios, ait Chrysostomus, quodammodo negligentes faciebat circa iustitiam, & refrigerare faciebat animas eorum expectatio Sæculi longioris; & illis in refrigeratio erat, cognoscere Mundi spatia esse longinqua. Hæc ille in imperf. Postremi seipsos incitabant vitæ brevitate. Vide, quàm tepesciat corda fragilitatis propriæ neglecta memoria; quàm verò fervorem accendat vitæ brevis recordatio. Didacus Nisi. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Ambulate, dum lucem habetis. Jo. 12. 35. Quàm est vitæ nostræ cursus perennis, tam nunquam debemus in virtutis stadio subsistere quieti. Jubet Christus ambulare constanter, dum lucem habemus. Nec enim decet, ut minus aliquid habeat vita Spiritus, & animæ; quàm vita corporis, aut carnis. Et cum hæc jugi cursu pergat, donec meta suæ terminum attingat; non debet illa in gradu suo hære. Didacus Nisi. f. 6. D. 5. Quadr.

Quantum

Exempla.

Ipsæ verò portabat in manibus ignem, & gladium. Gen. 22. 6. Cur Abraham igne, & gladii, utramque occupat manum? cur non in una utrumque? Sacerdotisungebatur officio: S. Zeno Veron. serm. de Abrah. nec deest ad ministerium gladius, ut pater esset pariter, & Sacerdos; vult omnem operationem, & conatum, divino obsequio esse dicatum. De Castillo. Illat. 278.

Emerunt aromata. Marci 16. 1. Nonne hæc femina sciebant, Christum à Joseph, & Nicodemo, esse unctum magnâ unguenti copiam? cur ergo jam sic unctum ungere volunt? Amor id faciebat; cui nihil nimium est, quod honori Domini impenditur. Barradius t. 4. l. 8. c. 1.

Valde manè unâ Sabbathorum. Marci 16. 2. Fervor animi illarum mulierum demonstratur in hoc, quòd valde manè ad sepulchrum Domini venerunt, ut ungerent Corpus ejus. Nisi enim valde dilexissent, nequaquam tam manè ad monumentum venissent. Haymo hom. in Dom. Paschæ.

Ipsæ verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Fervor quidam intrinsecus instimulabat eum: idcirco JESUS jussit illum adduci ad se; quòd profectò dignus esset, qui appropinquaret ei. Cum interrogasset, & comperisset, eum recipiendi visus valde cupidum; dat, quod petit. Theophylactus hic.

Quantum

Fac, quod potes.

Quodcumq; facere potest manus tua, instanter operare. Ecclæ. 9. 10. Hebr. in virtute tuâ; id est, totis viribus, & toto conatu, operare. Ita S. Cassius Narniensis Ep. teste S.

Gregoriô 4. dialog. c. 16. Paulô ante mortem à DEO audit: age, quod agis; operare, quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus. Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Cornelius hic.

Curramus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Exiguum videtur, quod Sponsa petit. Cur solò odore contenta non ipsa petit unguenta? vult dicere: quia reipsum non datur amplecti, interea odor nominis sui mecum ex desiderio pernoctabit. S. Ambrosi. in Pl. 18. octon. 7. v. 1. Simons esse non potes, nec prævales; esto vel collis. Seneca l. de tranqu. c. 3. miles, præcisus quoque manibus, in prælio invenit, quod patibus conferat; & clamore juvat. Didacus Nisi. Vita Abrah. l. 5. c. 1.

Ponam in deserto abietem, ulmum &c. Il. 41. 19. Ulmus vitem cum fructu suo sustentare solet. S. Gregorius hom. 19. in Evang. Loquitur ex more Palestina, & Italia, ubi ulmis vites nubunt, maritasque complexus per ramos earum procacibus brachiis genicularò cursu scandentes cacumina sensim petunt. Ulmus, cum botros non producat, facit, quod potest; idèò Deo gratia. Id. ib.

§. III.

Varia alia motiva

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

Sic dicetis viris, qui sunt in Fales Ca. laad: cras eris vobis salus, cum incaluerit Sol. 1. Reg. 11. 9. Cum mens perdesidiâ tepescit, & jam in se reversa, ad Conditoris sui desiderium recalescit; cum torpore negligentia deserit, & frigus insensibilitatis pristinae flamma sancti amoris accendit; tunc velut incoalescente sole victoria de hostibus sumitur, & oblecta civitas de superbi regis manibus liberatur. Petrus Damiani l. 6. ep. 5.

Vinea florescentes dederunt odorem suum. Cant. 2. 13. Ajunt, florentibus vineis omne reptile venenatum cedere locò; nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant Novitij nostri; & fiducialiter agant; cogitantes, qualem Spiritum acceperant, cujus primitias demones non sustinent. Si sic Novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? S. Bernardus l. 60. in Cant.

Benedicite igni, & aestus Domino! benedicite geli, & frigus Domino! Dan. 3. 66. 67. 69. Aestas, & hyems in chorum evocantur, ut DEO psallant; ver floribus renidens non inducitur: quin & aurora à cœtu psallentium excluditur. Nimirum, quæ in confinio virtutis, vitæque, sunt, ea cœlo non probantur. Mavult ædenago frigus, quàm teporem; mavult æstum, quàm remissiorē anni partem autumnum. Tenebras audies concinentes cum pueris in fornace, non admisso crepusculò in odeum; benedicite lux, & tenebræ Domino. v. 72. Oliva l. 6. Strom. hic.

Dicit Daniel 7. 10. *millia millium ministrabant ei, & decies milles centena milia assistebant ei.* Ecce dum innumerabilem Angelorum alij DEO ministrare, alij dicuntur assistere; nullus eorum reperitur hic in subtelio residere. Et Zacharias Sacerdos Luc. 1. 11. cum incensum poneret, non sedentem, sed stantem juxta altare Angelum vidit. Apoc. 7. 9. *vidi turbam magnam stantes ante thronum.* Et Paulo post v. 11. *omnes Angeli stabant.* Isaiæ 6. 2. *vidi Dominum sedentem v. 1. Seraphim stabant.* De sedente Heli dicit Scriptura 1. Reg. 4. 18. *cecidit de sella reorsum.* Sedebat & Balthasar rex Dan. 5. 2. At contra Elias dicit 3. Reg. 17. 1. *visit Dominus DEUS Israel, in cujus conspectu sto.* Sto, inquit, non sedeo, non oscito: cui etiam à Domino dicitur: 3. Reg. 19. 11. *egredere, & sta in monte coram Domino;* non aut sede,

sed sta. Num. 3. 6. ait Dominus Moyse: applica tribum Levi; sed fac stare, ut ministrant, excubent, & observent. B. Petrus Damiani 1. 3. ep. 8.

Et opera tua novissima plura prioribus. Apoc. 2. 19. Joachimus Abb. tanto majoris praconij, & laudis est, quando perpauci sunt, qui non tepescant à fervore novitio, & remissa conversatione ab his, in quibus ardere videbantur, frigerant. Apud Sylveira hic.

Sunt Spiritus fervori cuncta facilia. S. Gregorius Naz. poemate de vita sua.

Clavis ignita referat seram unamquamque; sic menti ignea, fervori, magnanimitati, cedunt omnia ardua. Berengarius in similitudinibus.

Vide tit. Perfectio, Profectus, Servire DEO.

TITULUS IV. FESTA.

§. I.

Consecra Divino cultui, rebus Spiritualibus.

Ex Veteri.

Factum est vespere &c. Gen. 1. 5. Fuit hæc prima dies Dominica: nam septima ab ea fuit Sabbathum. Doceris Christiane, quid operari te Dominica oporteat, lucem verbi Dei, considerationis &c. Cornelius hic.

Benedixit diei primo, & sanctificavit illum. Gen. 2. 3. Quid est, & sanctificavit illum? ab aliis illum segregavit statimque adjecit causam istius sanctificationis: eo quod in illo requieverit ab omnibus operibus suis. Jam hic ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus; eradiens, in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spirituales operationem. S. Chrysost. hom. 10. Servi, & ancillæ arceantur ab otio; quò morbo laborasse legitur ancilla Saræ; quæ vel ipsò nomine suo ignaviam, & otium, præferebat. Agar enim, ut quibusdam placeat, vertitur *somnians festa.* Bernardus hic.

Frequentissime olim DEUS in Scriptura Sabbathi observationem imperavit. Ex. 20. 9. 10. Levit. 23. 3. Deut. 5. 13. 14. & passim. Imò violatoribus capitale supplicium statuit Ex. 31. 14. Num. 15. 35. Cur in hac lege tam severus? Quia adeo propensi erant ad divitias congregandas, ut in hoc labore totam vitam collocarent. Unde, nisi inde violenter averterentur, semper terrenis studiis incumbere, nunquam divinis obsequiis vacarent. Quare severissimis legibus opus fuit; quæ illos à temporalium rerum negotio ad celestium otium transferrent. Mendoza in 1. Reg. 3.

Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino. Ex. 23. 17. id est, coram Arca, vel tabernaculo Domini. Nota:

cum viri omnes civitates suas defererent, nullus tamen eis metus fuit ab hostibus, nè forte diriperent civitates sic desertas, & inermes: quia promissum illis erat Ex. 34. 24. *cum tuleris gentes à facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparen te in conspectu Domini DEI tui ter in anno.* Marchantius D. 1. Epiph.

Mutabantur Pane Propositionis per singula Sabbathia. Ex. 25. 30. Appositisque calidis frigidis tollebantur: quia veteres oblationes quasi frigidas, & calorem spiritui non habentes, repudiandos tempore gratiæ ipsa panum mutatio intimabat. Arnoldus Carnot. tr. de 6. & 7. verbo. Panes Propositionis super mensam mundissimam coram Domino statuuntur, cum Sanctorum solennitates ad DEI honorem à Fidelibus in Ecclesia celebrantur. Petrus Cellensis. cap. 11.

Sabbatha mea custodite. Levit. 19. 30. Interlinearis dicit: *servantes ab omni malo.* Contra hoc mandatum aperte faciunt, qui maxime in diebus festis operibus diaboli, id est, commensationibus, & potationibus, & choreis, & hujusmodi vacant; potius festa Baal, quam Domini, celebrantes. Deus Baal tot, & tanta comedit. Daniel 14. Hugo Card. hic.

Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos. Num. 28. 9. aliis autem diebus, exceptis solennioribus, & Calendis, non nisi unum: quò docemur, devotionem in festis duplicandam. Besseus D. 16. Pent. Sabbathum otium præcipiebat, sed non omne otium; quandoquidem Spiritus opus multiplicabat: precibus enim, & hymnis, dare operam jubebat, & Deo geminas hostias adolere. B. Theodoret. in Pl. 91.

Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem Festum agens tibi. Pl. 75. 11. Docet nos, quomodo festivitates celebrare debeamus, Primò sanctis considerationibus,